



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

3tiò. De Confirmatione.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

ut Sacerdos in pœnitentia danda originem modumque culparum & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinet.

3tio.

De Confirmatione.

PER Sacramentum Confirmationis augetur gratia, & robur datur specialiter contra tentationes in fide, imprimiturque simul character, quo adscribitur confirmatus in militiam Christi, sicut per characterem baptismi adscribitur in familiam Christi. Ità Catholici ex perpetua traditione. Sectarii negant hæc, sicut & Confirmationem negant esse Sacramentum. Sed bene Hieron. adversus Luciferianum dicit: An nescio hunc Ecclesiarum esse morem, ut baptizatus postea manus imponantur, & ità invocetur Spiritus Sanctus? exigis ubi scriptum sit? (sic & veteres Hæretici omnia voluerunt demonstrari ex script.) in Actibus Apostolorum C. 8. & 19. etiamsi Scriptura autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Porro Act. 8. v. 17. Apostoli imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Et Act. 19. v. 6. cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos. Et 2. Cor. 1. Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.